


YL
C 1886
f. 38

15805. 12. C. f.

V



ІІІ

ІІІ

ІІІ

STYRIAE
COLLEGIA
ET
MONASTERIA
PRÆCIPUA
LAUREATIS HONORIBUS
*Illusterrimorum, Perillustrium, Reverendorum,
Religiosorum, Prænobilium, Nobilium, Excellentium,
ac Doctissimorum*
DOMINORUM, DOMINORUM
AA. LL. & Philosophiæ
NEO-DOCTORUM,
Cum in Alma, ac Celeberrima
UNIVERSITATE GRÆCENSI,
P R O M O T O R E
R.P. URBANO MADCHO,
E Soc. Jesu, AA.LL. & Philosophiæ Doctore,
ejusdémque Professore Emerito, nec non Inclytæ
Facultatis Philosophicæ p. t. Seniore
& Consistoriali.
Supremâ Philosophiæ Laureâ insignirentur.
Ab Illusterrima Rhetorica Græcensi
dicata.

ANNO M. DCC. XL. Mensē Die

Græcii, typis Hæredum Widmanstadii.

IN=030006954

ILLUSTRISSIMI,
Perillustres, Reverendi, Religiosi, Prænobiles,
Nobiles, Excellentes, ac Doctissimi
DOMINI, DOMINI
NEO·DOCTORES.



Um rude, & suprema lauro con-
fectorum literaria in arena im-
mortali cum laude certaminum
præmio Vos donat Philosophia,
nos quoque munus nostrum, aut
vectigal potius, quoniam tributarii Vobis ef-
se gloriæ etiam ducimus, idque sacrum adjici-
mus: Styriæ Collegia, & Monasteria Præci-
pua sunt, quæ Nominis Vestro inscribimus.
Quod si Philosophia ars vitæ, mater omnium
bene factorum, ac dictorum, cultura animi,
quæ vitia extrahit radicus, officii & bene
vivendi disciplina, commentatio mortis est;
præclarè nobiscum agi arbitramur, quod hæc
folia nostra sub Nominis Vestro appareant:
nuspian etenim Philosophia, posteaquam qui-
dem Christiana est, atque in sacris, quæ adum-
bramus, domiciliis, flæt felicius. Nihil
etiam

etiam borum incolas Philosophos dicere vetat,
atque Priscis illis multò quidem illustriores,
quod non captandæ auræ popularis gratiâ, sed
ut ad Philosophiam, rerum nempe divinarum,
juxta & humanarum cognitionem toto pectore
incumberent, rebus humanis, & caducis nun-
cium remisere. Operis, id quod in librorum
nuncupationibus fieri amat, tenuitatem, non
excusamus; cùm etenim ab sacris his domici-
liis non vulgare Patriæ Vestræ accedat orna-
mentum, speravimus fore, ut eadem Honori-
bus Vestris consecrata splendoris aliquid ad
bodiernæ diei celebritatem conferant. Hæc
nos paucis, nè importunè plausibus Vestris ob-
streperemus. Vos, dum diem hunc ad tem-
porum memoriam Vobis gloriosum precamur,
paginas has nostras benevolô, ut soletis, animô
accipite. Quod à Vesta sibi humanitate pol-
licentur

HONORIS VESTRI

Studioſſimi

Rhetores Græcenses,

AD



AD LECTOREM.

NE eos, quos necesse fuit nobis circumdare cancellos, egrederemur, illa duntaxat, quorum Capita in sacra juxta, ac profana republica eminent, Collegia, ac Monasteria describere instituimus Lector benevole. In contexenda narratione scriptorum domesticorum præcipuè niti testimonio: ordinem verd tenere tibi Lector amice opportunissimum, eum scilicet, quem nomina ipsa locorum subministrant, placuit. Summa rerum, quæ in quovis Collegio, aut Monasterio attingimus, capita sunt: Origo, Templum, Monumenta, Parœciæ, Ædificia, Præpositi, aut Abbates Illustriores. Quod amplioribus alibi, alibi arctioribus narrationem limitibus circumscripserimus, non id partium à nobis factum est studio, sed quod plura ab aliis, ab aliis pauciora aut fuerint suppeditata, aut in eorum, qui res Styriæ literarum monumentis tradidere, voluminibus sese nobis obtulerint. Nihil etiam iis, quos tace-

mus, Præfulibus derogatum imus; sola eten-
nim virorum longè clarissimorum copia
istud imperavit silentium, atque idem no-
bis, quod Astrologis evenit, qui paucis so-
lum syderibus nomina imponunt, non
quodd cæteris nihil insit splendoris, aut vi
benigna in corpora inferiora careant, sed
quodd multitudine obruantur. Collegiorum,
Monasteriorum & vivorum Antistitum lau-
dibus abstinuimus, quodd ea, quæ magna
sunt, commendatione non egere, neque fo-
li facem esse admovendam putaverimus.
Timendum etiam nobis erat, nè impare
stylo obscuraremus ea, quæ illustrare cu-
piebamus. Hæc te admonitum oportuit
Lector benevole. Conatibus his nostris,
si tibi probantur, utere, & vale.



AD-



ADMONTENSE MONASTERIUM.

Anus agebatur supra millesimum quartus, & *Orig.*
 septuagesimus, cum Hemma Wilhelmi Co-
 mitis Frisacensis vidua hortante B. Gebhar-
 dus Archi-Episcopus Salisburgensis Comes ab Helf-
 fenstein, è vetustissima, ut Bucelinus testatur, Agilol-
 singorum Alemanniæ Ducum stirpe, ad novam fa-
 cræ D. Benedicti Familiæ sedem in Styria consti-
 tuendam animum adjecerat. Sat ampla, quam Ana-
 sus irrigat, in Superiori Styria sub montium radici-
 bus procumbit planities. Ea licet sacræ solitudini,
 & excipiendis novis incolis perquam videretur ido-
 nea, loci tamen ob imminentes undique montes, &
 quibus Cœnobio, & Oppido nomen Admont indi-
 tum, asperitate, aut suscepti operis difficultate ab-
 sterritus diu animi pendebat Gebhardus; dum nescio-
 quis sylvæ vicinæ accola ad hoc tempus linguæ usi-
 destitutus toleratâ in tres dies inediâ fluctuantî
 etiam Gebhardo hîs vocibûs: *Tu inchoabis, Deus con-*
summabis, dubitationem exemit. Itaque voces illas
 Numinis imperium interpretatus jactis eodem anno
 fabricæ fundamentis templum ipse Virginis sanctissi-
 mæ, & D. Blasii Episcopi, & Martyris honoribus
 consecravit. In eodem subinde ad DD. Aposto-
 lorum aram magnificâ sepulturâ affectus, elinguem
 illum, ut accepti in expellenda ancipiti cura benefi-
 cii non abiisse cum vita memoriam ostenderet, quo

non poterat vivus mortuus jam prœmio , loquendi
^{Templum} scilicet facultate fuit remuneratus. Ostentabat
 &
^{Monumenta} olim hæc Basilica Venerabilis Sophiæ Belæ Regis
 Hungariæ filiæ , Conradi II. Archi-Episcopi Salisbur-
 gensis S. Leopoldi Marchionis Austriæ filii aliarum-
 que Illustrium Familiarum monumenta , quæ tum
 flamma , tum ferrum hostile perdidit. Simulacrum
 è Lapide , in quo virginem depositum è cruce fi-
 lium gremio sustinentem B. Thiemo Archi - Episco-
 pus Salisburgensis expressit , intra Asceterii parietes
 nostra ætate supereress Chronolog. Sacra Styriæ me-
^{Parœcia.} morat. Totos se ad juvandos mortalium animos
 conferunt Admontenses I. In Oppido Admonten-
 si ad D. Amandi , quæ Parœcia Monasterio à B.
 Thiemone suprema cum potestate fuit adscripta.
 II. Ad D. Ægidii in Jonspach. Ab Engelberto Abbe
 in vasta solitudine , locoque ab omni humani cultus
 vestigio remoto Ecclesia hæc erecta. Specus ibidem
 hodie visitur , in quo Engelbertus rerum divinarum
 contemplationi vacabat. III. Ad B. V. M. in monte
 Culm. Hartnidus Abbas hanc ædem sacram exstru-
 xit Matri Virgini. Prodigiorum fama haud multò
 pòst ex Hungaria , Austria , & Styria non paucos huc
 accivit. Illud prodigo simile eos , qui sacrilego sæ-
 pius animi sui ulcera pressere silentio , vehementi-
 bus hic loci impelli stimulis ad eadem sacris judici-
 bus aperienda. Magna postremis his temporibus
 Virginis cultus cepit incrementa. IV. Ad B.V. Af-
 sumptæ in Gröbming. V. Ad D. Laurentii ad Pal-
 tam. VI. Ad SS. Trinitatis in Gaishorn , seu Gaif-
 fern. VII. Ad D. Chunegundis in Sylva. VIII. Ad
 D. Oswaldi in Kalvvang. IX. Ad D. Nicolai in
 Mautern , quam cruci affixi Servatoris imago inviola-
 ta mediis in flammis servata in dies celebriorem redi-
 dit. X. Ad D. Joannis Bapt. in Cammern. XI. Ad
 D. Michaëlis ad Ließnich , & Muram. XII. Ad D.
 Geor-

Georgii in Graubath. XIII. Ad D. Galli in Sylva.
 XIV. Ad D. Bartholomæi in Landl. XV. Ad DD.
 OO. in Palfau. XVI. Ad D. Barbaræ in Thall, seu
 Wildalben. Ædes Curionis sacri unà cum templo
 hodiernus Reverendissimus Præfus construxit. Ei-
 dem ab se ornato lugentis cruciatus, ac mortem Fi-
 lii Virginæ Matris effigiem prodigiis claram, comi-
 tantibus (quod in his locorum abditis mirere) quin-
 que hominum millibus intulit. XVII. Ad D. Nico-
 lai in Muckernau, hodie Saufal. XVIII. Ad B.V.M.
 in Jaring. XIX. Ad D. Andreæ in Witschein. XX.
 Ad D. Leonardi in collibus Sclavonicis. XXI. Ad
 D. Leonardi in Freyland. Quinquaginta hactenus
 Cœnobiarchis paruit Admontense Asceterium. Ar-
 noldus è Salisburgensi D. Petri Monasterio, quod
 id muneris, aut oneris verius ob rei domesticæ an-
 gustias non diu sustinuerit, à plerisque in horum
 numerum non refertur. Nos quoque eos duntaxat
 commemorabimus, qui nomen suum peculiari laude
 illustrarunt. Sunt verò ISINGRINUS Arnoldo sub-
 rogatus & sociis è D. Petri cœnobio huc deductus
 ab ipso B. Gebhardo præfectus. B. GISILBER-
 TUS cum B. Thiemone Archi-Episcopo Salisburgen-
 si, cui se comitem itineris dederat, ad Corozaim
 Palæstinæ urbem sanguinis sui pignore Christum te-
 status. HENRICUS I. qui à Paschali II. obtinuit
 diploma, quo jura Admontensium rata habuit. Ex
 ejusdem disciplina prodiit S. Bertholdus Garsten-
 sium Antistes miraculorum gloriâ illustris. WOL-
 VOLDUS Styriæ Archi - Diaconus, qui lustrandi
 omnia dioecesis Salisburgensis monasteria provinciâ,
 aliisque laboribus cum laude defunctus egregia de
 vitæ sanctimonia relicta opinione obiit. GODE-
 FRIDUS, qui è religiosissimo suo cœtu tredecim
 Præfules diversis cœnobiis suppeditavit. IREMBER-
 TUS quatuor libros Regum, Judicum, & Ruth præ-

Abbates II-
lustr.

clatis commentationibus executus. ISENRICUS
 Fridericum Imperatorem ad bellum sacrum in Sy-
 riā abeuntē comitatus. CONRADUS II. Fride-
 rīco II. Imperatori suminis in amoribus. HENRI-
 CUS III. qui meritis ad conditionem ipsum proxi-
 mē accessit, magnā apud Rudolphum I. Cæfarem
 gratiā ab Alberto hujus filio Vicarius Styriæ Guber-
 nator constitutus: Monasterii possessiones redemit,
 Ecclesiam ædificavit: mitræ prærogativam inter Ad-
 montenses primus à Gregorio X. accepit. HART-
 NIDUS, qui prudentia, doctrina, pietate insigni
 eam apud Sigismundum Imperatorem inivit gratiam,
 ut Cæsar eum filio suo patrem lustricūm esse volue-
 rit. A Bonifacio IX. consecrandi altaria, calices,
 vestes sacras, suos minoribus, quos vocant, ordinib-
 us inaugurandi, sibi, posterisque exoravit potesta-
 tem. ANTONIUS DEI GRATIA dictus Venetus
 SS. Theol. Doctor, & Professor olim Parisiis, Regis
 quondam Magister. LAURENTIUS Lombardo per
 vallem Admontensem Apostolus. MATHIAS Prei-
 ninger Cameræ, ut appellant, simul interioris Au-
 striæ Præles. URBANUS Textor, cui tantum pro-
 pe, quantum Conditori se debere Monasterium con-
 fitetur. Longum foret percensere omnes, qui ge-
 neris claritudine, virtutum, & eruditionis laude,
 augendi sacram, & domesticam suppellestilem stu-
 dio insigni cœnobio huic fuere ornamento. No-
 rum Monasterio accersit splendorem Bibliotheca
 orgias octo & triginta longa, lata pedes sex supra
 triginta, cui à fundamentis excitatæ colophonem
 proximè addet primus à quinquagesimo

Edificium.

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
LUS TRIS. AC AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS
ANTONIUS**

D. G. Abbas Admontensis, Ord. S. B.
Sac. Cæf. Majest. nec non Celsissimi, & Re-
verendissimi Archi Episcopi, & S. R. I. Excelsi Princi-
pis Salisburg. Confiliarius respectivè Intimus, per
Paltam & Anafum Archi-Diaconus, Congreg.
Benedictino-Salisb. Praeses.



**LAMBERTINUM
MONASTERIUM.**

Dedicatum D. Lambertio Monasterium ædificii am-
plitudine, juxta ac splendore sanè magnificum
Carinthiæ olim, à qua proximè abest, nunc utraque
Pro-

Origen

Provinciâ novis limitibus circumscriptâ Styriæ ad-
 jectum, quanquam edita montis occupet, altioribus
 montium jugis coronatur. Cui potissimum illius
 tribuenda sint initia, cùm vetustas prope nomina
 confuderit, non satis inter scriptores convenit.
 Marquardus Vallis Martiæ & Affluentinæ Comes, ac
 Dominus in Eppenstein Carinthiæ, qua Henricus IV.
 Imperator Bertholdum exuerat, Dux ab eodem re-
 nunciatus, voti reus, quo se accepto in bello adver-
 sus Geylam & Ladislauum vulnere obstrinxerat, po-
 sitis anno supra millesimum sextô, & sexagesimô, vel
 ut aliis, quartô & septuagesimô Cœnobii hujus fun-
 damentis Authoris sibi promeritus est titulos, Con-
 ditoris Henrico filio natu minori, à quo illud de-
 cem ante seculi undecimi finem annis perfectum, ho-
 nore, ac nomine relicto. Ejusdem Henrici operâ Im-
 peratore consilia probante effectum est, ut Mona-
 sterium hoc in comitiis anno MCIV. Moguntiæ ce-
 lebratis Imperii Principibus in clientelam datum non
 in alterius præterquam communis, summique Eccle-
 siæ Pastoris esset potestate. Causis forensibus Pa-
 tronus ut nè deesset, Henricus stirpis suæ posteris
 ejus rei curam commisit, quibus extinctis Monaste-
 rium se Imperatorum tutelæ subjicit. Si n mos Pon-
 tifices, Cæsares, Duces, ac Principes ejusdem immu-
 nitates non modò salvas esse iussisse, sed plurimis
 illud cumulâsse, ac ornâsse beneficiis memorat Buce-
 linus. Porro centum, & amplius Marquardum ante,
 & Henricum annis eodem in loco Ecclesiæ D. Lam-
 berto sacram extitisse, cámque à sacra D. Benedicti
 Familia fuisse procuratam literæ Ottonis III. Cæsar is
 gnô munitæ, sanctæq; testantur, quibûs seculi decimi
 anno nonô, & octuagesimô loci hujus incolis certam
 suarum in monte Carentino possessionum partem ad-
 ditis pluribus, iisque amplissimis prærogativis tradi-
 dit. Ecclesiæ vetustatem scriptus item codex alius

commendat, in quo illa à Carasto Carnorum Principe fuisse exstructa legitur eo, uti conjecturam capere licet, consilio, ut, cum ab iis sanguinem duceret, qui oblatæ D. Lamberto necis fuere Authores, sacra hac in æde majorum scelus perpetuis religionibus expiaretur. Ejus rei ut major, uberiorque ad provinciam universam permanaret fructus, missi fuere à S. Virgilio anno DCCXLI. viri promovendæ divinæ gloriæ studiosissimi, qui Carinthiam ad Christiana sacra traducerent. Templum,
&
Monumen-
tum.

Plures fortasse illustres cines res in eo collocatos bina incendia, quæ nullis poterant aquis domari cum tristibus illis, in quos solutis parietum compagibus totum propè abiit ædificium, permiscuere. Ut quos domi conceperint viri religiosi, foris in gregem spargerent pietatis igniculos, plurimæ, quarum aliquæ temporum injuriâ dimissæ, Monasterio adjunctæ fuerunt Parœciæ. Parœciæ.

Harmi aliæ Archi-Episcopo Salisburgensi, Seccoviensi Episcopo aliæ obnoxiae. Utriusque cum se in illarum administratione subducere potestati Cœnobium, quod, ut diximus, summo tantum paret Pontifici, moliretur, causa cum utroque Principe nata; quâ diu multumque in sacro Romæ Senatu agitatâ res operâ Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. ad concordiam adducta. Sunt porro, quorum causâ Celsissimos inter Archi-Episcopum Salisburgensem, Seccoviensem Episcopum, & S. Lamberti Abbatem initia concordia in Salisburgensi Dicecesi Aſceterii hujus Parœciæ I. in Kaltenkirchen. II. ad D. Blasii. III. ad D. Nicolai in Laſniz. IV. ad B.V. M. in Hoff. V. ad D. Thomæ in Scheiffling. VI. ad D. Joannis in Scheibn. VII. ad D. Petri in Aſflenz. VIII. ad D. Viti in Veitsch. In Seccoviensi I. ad D. Andreæ in

in Piber. II. ad D. Margarethæ extra , & ad D. Michaëlis intra urbis Voitspergæ pomœria. III. ad D. Magdalenæ in Köflach. IV. ad D. Georgii in Kainach. V. ad D. Laurentii in Göllschrott. VI. ad S. Catharinæ in Ligist. VII. ad D. Martini in Pak. VIII. ad B. V. M. in Hirschögg. IX. ad D. Osvvaldi in Graden. X. ad D. Nicolai in Stallhoffen. XI. ad D. Jacobi in Geistall. XII. ad DD. Petri, & Pauli in Sala. XIII. ad D. Viti in Weisckirchen. XIV. ad D. Joannis in Feistriz. XV. ad D. Ægidii in Obdach. XVI. ad D. Martini in Lindt. Posteriorum componendi controversias salva appellandi libertate penes D. Lamberti Præfulem est potestas. Recensitis accedunt ad D. Petri in S. Lamberto altera , altera ad

Cell. Marian, Origo. B. Annæ in Valle Martia. Cellas Marianas , quas in priorum referre oportuisset numerum , cùm loci dignitas , ut latius aliquantum evagaretur narratio , postulare videretur , consultò hunc in locum rejecimus , nè enumerationis cæterarum cursus abrumperetur. Annô supra millesimum ducentesimô Styriam sacro hoc ornatam fuisse Palladio communis fert opinio , cui inscripta templi propylæo verba suffragantur. Quod vallis Avelenz ab Henrico sacræ huic familiæ tradita porrecta longius , quām ut hyeme , præsertim nivibus vias præstruentibus illius incolæ in templum commeare absque gravissimo incommodo possent , vir insigni adversus Deum religione in montium interiora missus , qui sacri ibidem Curionis munus obiret. Is ædiculam , quæ Ecclesiæ imitaretur speciem , eodem loco , quo augustæ fabricæ templum , utamplum , non tamen affluentí toto orbe multitudini capiendæ , donorum magnificentia , & tabulis innumeris prodigiorum testibus illustre peregrinos advertit , è ligno construit , excitatæ in medio aræ cubitalis magnitudinis statuam imponit ; hæc è tilia sculpta , suisque illustrata coloribus Di-

vam Virginem dextero parvulum sustentantem bra-
chio refert. Matre pyrum, filio contrà Matri po-
mum, ut vilia, ita ad rusticæ plebeculæ, à qua solum
tum colebatur, gustum accommodata dona porri-
gente. Quanto imago hæc, locùsque non infimo
tantum, sed & summo loco natis futurus sit aliquan-
do in pretio, ex ipsis gratiarum, prodigiorumque
primordiis licuit conjicere, quæ Henrico Moraviæ
Marchioni, & Agneti uxori à Virginé fuère delata.
Paralysi vim omnem medicaminum eludente trien-
niô integrò Marchio cum conjugè intabescentes, ex
D. Wenceslao, cuius implorârant opem, per infor-
mum intelligunt, ex morbi gravissimi longinquita-
te recreari si esset in votis, ad Cellas B. Virginis se
iter facturos Sacramenti religione obstringerent. Ma-
lo non tardius è membris, atque Sanctus ipse utrius-
que se subduxisset oculis, abeunte itineri fese accin-
gunt. In quo cum à recto deflexissent tramite aut
D. Wenceslao, aut certè cœlesti quopiam genio
peregrini habitum induito duce ejusdem metam atti-
gère. Persolutis hinc sospitæ suæ gratiis ligneæ, lapi-
deam, eamque justæ magnitudinis donis etiam à se
cumulatam Ecclesiam suffecere. Eam verò, quæ
hodie dum decem grandibus fulta columnis conspi-
citur Ludovicus Hungarorum Rex anno
M. CCCLXIII. deleta veteri è fundamentis eduxit.
Non levem incusserat Ludovico terrorem Amurathis
Turcarum Sultani in Pannoniæ fines irruptio. Cùm
spes nulla viginti militum millibus, quos raptim sub-
signa coegerat, infinitas propè copias repellendi af-
fulgeret, ad Virginem Cellensem tum multis jam clara-
ram prodigiis vota facit. His illa permota dormicen-
ti se Regi spectandam præbet, bono jubet esse ani-
mo, certamque de hostibus pollicetur victoriam.
Qua de barbaris relata Ludovicus viñorem militem
ad Cellas Marianas deduxit, & ense, cæterisque,
qui-

Templum.

qui^{bis} hostem vicerat , armis , coronâ item , regio
cum paludamento victoriæ velut repræsentatione
oblatis , templum , quod diximus , æternum grati
Prodigium. sui in Virginem animi monumentum erexit . Ædem
hanc in Numinis ipsius esse tutela suô Turcæ damnô
dedicere , qui ejusdem annô M. DXXIX. diripere
thesauros parantes , nihil inde præter dedecus fru-
stra susceptorum conatum , pœnásque sacrilegis ir-
rogatas oculis abstulere , miri interea splendoris
coronâ templi fastigium ambiente . Illud de augustinis-
sima hac Virgini dicata domo generatim dixisse suf-
ficiat , universam illuc divitias suas concessisse Euro-
pam , atque mortales cum ipsius Cœlitum Reginæ

Abbates II. beneficentia pia hic liberalitate certare videri . In-
lustr. gentem utùt è loco toto orbe celeberrimo , non ta-
men omnem Lambertinum cœnobium splendorem
inde suum mutuatur . Quod si enim à capite cor-
poris petendum est decus , magnum sanè ab iis , qui
præfuere Monasterio , accessit ornamentum . HART-
MANNO fratri (Hermanno legunt alii) qui Principem
exuerat dudum , & jam D. Blasii in Hercynia sylva
Prior cœnobium rexerat , Henricus ipse Conditor
sacræ hujus reipublicæ tradidit gubernacula . Con-
stantiensi idem Episcopo ab Urbano II. Pontifice Ma-
ximo in legatione ad Germanos adjutor datus Gua-
staliensi concilio interfuit . Nomen suum ab homi-
num oblivione præ cæteris , qui ab Hartmanni mor-
te ad hæc tempora sacram hanc familiam quadragin-
ta administrârunt , præclarè factis atque virtutibus
vindicârunt . WOLFRAMUS jurium Monasterii
propugnator egregius . OTTO , qui primus Ordinis
sui viros auctoritate Adriani IV. in subiectas cœno-
bio Ecclesiæ introduxit . WOLFKERUS , qui , ut
majus Deo , rebūsque divinis vacandi nanciseretur
otium , præfecturâ se abdicavit . GERMANUS à
Trüschen , qui deprecatione fratris Eberhardi II. Sa-
lisbur-

lisburgensis Archi-Episcopi mitræ quidem dignitate ad posteros transitura ab Ecclesiæ, ab Imperii vero Summo Capite magnis auctus est beneficiis. HENRICUS Avenione in Concilio à Clemente V. celebrato è vivis sublatus. OTTO de Laa genere, & eloquentia perinde clarus. JOANNES Fridperger, SS. Theol. Doctor, felix non minùs, quam acer iurium Monasterii vindex, qui à Clemente VI. calices sacrandi potestatem obtinuit conditore tantum cœnobii meritis inferior. PETRUS de Leoben ob doctrinæ, prudentiæque existimationem Pontifici in amoribus. HENRICUS Meckerus ab Henizhaimb magna ob egregiè navatam in Concilio Basileensi adversus Hussitas operam apud Eugenium IV. gratiâ. JOANNES Schachnerus, qui eximiam vitæ sanctimoniam paui cum providentia conjunxit. VALENTINUS Pierer literatorum Mœcenas Carolo V. Imperatori, & Ferdinando Regi à consiliis. MARTINUS Alopitius excelsò, vir animo fidei juxta atque disciplinæ religiosæ curator strenuus. JOANNES HENRICUS Stadfeldt, qui, cum incolarum numero ut cresceret doctrina, effecit. BENEDICTUS Pirin, qui Monasterium à fundamentis excitavit. Hæc ut ad culmen pervenirent successores curârunt. Ornavit vero novumque, quod excipiendis hospitibus serviat, ædificium addidit is, qui anno septimo & trigesimo ab ipso Summi Pontificis apud Cæsarem Legato, hodie Purpurato Sac. Rom. Eccl. Principe in Cellis Marianis Praeful inauguratus

Ædificium.

**REVERENDISSIMUS , ILLU-
STRISSIMUS , AC AMPLISSIMUS
DOMINUS , DOMINUS
EUGENIUS**
Ex Illustrissima Familia S. R. I. Comi-

tum de Inzaghi , SS. Theol. Doctor , Lib.
 & Exempt. Monast. ad S. Lambertum , & Cellas Ma-
 rianas , O. S. B. Abbas , Præpositus in Afflenz , &
 Veitsch , Mission. Apostol. per Austr. Styr. & Carinth.
 Præfектus perpetuus , Sac. Cæs. Regiæque Cathol.
 Majestatis Consiliarius , &c. &c.



()

NOVOMONTANUM MONASTERIUM.

Origo. **T**emplum, & **M**onumen- tum. **Q**uod tardiūs suppeditatus nobis liber , quām ut ea omnia , quæ in rem nostram forent , ex illo eruere possemus , narrationem paucis exequi cogimur. Ottoni Alberti I. Imperatoris filio , II. fratri sacra hæc D. Bernardi Familia cœnobium suum , honori quoque Divinæ Virginis conditum debet. Inchoatum est anno M. CCCXXVII , quo Fridericus filius

filius Ottoni natus est, evocatique è S. Crucis religiosi. Cadaver Ottonis Viennæ apud D. Augustini religiosos initio tumulatum, Novomontani subinde suo tumulo intulere. Præter has Conditoris exuvias, sacræ aliæ, Caput nempe S. Dionysii Episc. & Mart. S. Mauri Abbatis, cum Capite V. M. è Societate S. Ursulæ in templo visuntur. Multa in Monasterium à Summis Pontificibus præcipue Eugenio, & Augustissimis Cæsaribus profecta fuisse beneficia ex historia Divæ Hospitalensis intelleximus. Septem numerant Novomontani Parœcias I. ad S. Stephani supra Leobium. II. ad S. Andreæ in Langenvwang. III. ad D. Chunegundis in Murzuschlag. IV. in hospitali prope Sembring B. V. Assumptæ dictam. De hac paucis abhinc annis liber Fons signatus, seu Di- væ Hospitalensis historia inscriptus, ex quo pleraque excerptimus, Salisburgi in lucem editus. V. ad D. Laurentii in Hörnstein prope Neostadium. VI. ad D. Nicolai in Perniz. VII. ad B. V. sine Macula conceptæ prope Monasterium. Primus rexit cœnobium HENRICUS Spanhalb. Cæteros in nominata jam historia nulla prope, nisi ea, quæ summa est, præclaræ administrationis laude ornatos comperimus. Sextus à trigesimo Monasterium hodie gubernat

Parœcias.

Abbas.

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
LISTRIS, AC AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS
EDMUNDUS**

Sac. & Exempt. Ord. Cisterc. Celeber-
rimi, ac Antiquissimi Monasterii B. Virginis

ad Novos Montes Abbas, sacri Hospitalis Dominus,
Sac. Cæs. Regiæque Cathol. Majestatis
Consiliarius, &c. &c.



PÖLLENSE COLLEGIUM.

Origo

A Vero aberrâsse eos , qui non tam firmis nixi testimoniis , quâm vulgi opinione abrepti Conditorem , & Auctorem præcipuum Collegii hujus Joannem L. B. à Neuberg fecere , Pöllense tabularium docet. Exstant in hoc literæ Friderici IV. Imperatoris anno reparatæ salutis M. CCC. LXXXV. exaratae , quibus ille se promovendæ Numinis gloriae impulsum studio , simûlque ut suæ , & Principum Austriacorum consultum iret saluti , Collegium Pöllæ exstruere in animo suo constituisse testatur. Morteni Principi consilii exequendi facultatem eripuisse fidem faciunt filii Maximiliani I. quæ ibidem servantur , literæ , Oeniponti Calendis Maji anno M. D. II. datæ

datae. Earum hæc ferè sententia : se de possessione
 Castrī sui Pöllan decedere , erigendo illud Collegio
 attribuere : ejus verò rei perficiendæ Elisabethæ è fa-
 milia B. de Neuberg, Comiti ad S. Georgium & Pö-
 sing imposuisse provinciam, præcipere se proinde,
 ut omnes castro huic obnoxii Elisabethæ Comitis
 ad S. Georgium imperiis morem gerant. Nihilo tamen
 minus piis manibus Joannis L.B. à Neüberg , Elisabe-
 thæ fratri , hujusque viri Christophori Comitis ad
 S. Georgium & Pösing , quòd ea , quæ gemini Cæ-
 fares habebant in votis , dederint effecta , à Pöllen-
 sibus meritò parentatur. Inde ab seculi quinti deci-
 mi anno quartō , & octuagesimō Georgium Haufer ,
 & Albanum Kogler ceremoniarum , & sacrorum apud
 Cæsarem antistitis adjutores Pöllensis Ecclesia cura-
 tores habuit. Dum anno M. DIV. jam aliàs nomi-
 natus à nobis Comes ad S. Georgium , & Pössing , à
 Virgilio Voraviensium Præsule , colonias , ut sibi hoc
 ex Collegio Pöllan deducere liceret , simul petiit , &
 voti compos factus est. Ex eodem Collegio ad Prepositi II^o
 tractanda novæ hujus familiæ gubernacula admotus
 UDALRICUS de Trauttmontorff , vir sapientissimus
 idem , & omni virtutum genere insignis. Hunc vir-
 tute , rerūmque gestarum gloriâ æquârunt JOAN-
 NES Mistelberg , cui deprecatione Sigismundi Polo-
 niæ Reginis à Leone X. Pontifice , quibus cæteri tum
 jam utebantur Præfules , sumendi insignia potestas
 facta. CHRISTOPHORUS Trükl per Styriam uni-
 verlam Archi-Diaconus , quem sibi nescio gaudiō ,
 an dolore majori eripi passa est Styria , dum viri
 eruditioris , & sapientiæ famâ longè celeberrimi ver-
 tici suam Ratisbona insulam imposuit. PETRUS
 Muchitsch , SS. Theol. Doct̄or , antiquissimæ & cele-
 berrimæ Viennensis bonarum artium , ac disciplina-
 rum omnium Palestræ Rector olim Magnificus , Sec-
 coviensis Episcopi aliquot annorum spatiō partes

sustinere jussus. Quo quidem potissimum tempore
 ingenii sui aciem, summamque in dicendo vim, ac
 robur in hæresis Magistros exprompsit; libro etiam
 in lucem edito, qui Pædagogiaæ Wittembergensis
 nomen in fronte præsefert, Apostolici Præsulis à Se-
 renissimis Archi-Ducibus cognomen sibi promeritus.
 Frequentes illius coñeâsse ad eosdem literas, dome-
 sticum tabularium redditis demonstrat. MICHAEL
 Maister, quem in summa temporum acerbitate ma-
 gnâ illius gloriâ, non minori suo commodo Patria
 Patrem dixit. Magna quidem Stephani Miterhau-
 ser, & Michaëlis Prathoffer singulari industria, majo-
 ra tamen hac nostra ætate Collegium hoc cepit in-
 crementa. Expunctum æs alienum. Ingens ædibus
 adjuncta accessio. Artifici illustrata penicillo Basí-
 lica D. Vito Martyri, quem sibi Collegium Patro-
 num adscivit, sacra à fundamentis erecta, Parœciae
 duæ recuperatæ: tres autem universè nempe in Pöl-
 lerberg, Stralleg, & Miesenbach à Pöllensibus magno
 animorum proventu procurantur. Cuncta hæc in
 Collegium suum quartus decimus loci hujus Præsul
 quatuor supra quadraginta, quibus præst, annorum
 intervallô concessit ornamenta

*Temp. lom
Paracae.*

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
 LUSTRIS, AC AMPLISSIMUS**
DOMINUS, DOMINUS
JOANNES
ERNESTUS,
Colleg. Eccles. Pöllens. Can. Reg.
Ord.

Ord. S. Augustini ad S. Vitum Præpositus,
 & Abbas Lateranensis, Sac. Cæs. Regiæque Cathol.
 Majestatis Consiliarius , &c. &c.



RO TEN MANENSE COLLEGIUM.

FRidericum IV. Cæsarem Collegium hoc Conditorem veneratur. Prima ejusdem extra civitatis muros anno M. CCCCLV. jacta sunt fundamenta, tabulæ verò, quibus posteritati omni erectum hoc ab se fuisse Collegium testatum facit Imperator, anno LVI. confectæ. Friderici consilia Nicolaus V. & Callistus III. Summi Pontifices probavere. Anno M. CCCCLXXX. ut à Turcarum incursionibus tutioribus esse liceret Rotenmanensibus Cæsaris imperio exstructum nuper Collegium solo æquatum, novumque penes D. Nicolai Principem urbis Ecclesiastim, à qua hodie Collegium nomen habet, collatum domicilium. Templi hujus partem illam,

Orig.

quam navim dicunt, Eberhardus Episcopus Lavantius, totum verò cum aris quatuor Bertholdus Episcopus Chiemensis consecravit. Inter Parocrias hæc, Parocia
 quam modò nominavimus, Ecclesia primo reponenda est loco, quæ tres alias appendicis locò habet, unam ad B. M. V. & utriusque S. Joannis extra urbis pomœria olim, uti vocant, Collegiatam, alteram ad D. Georgii, tertiam Sacellum S. Michaëlis. II. est ad DD. Petri, & Pauli in Irdning olim à summis duntaxat Pontificibus viris optimè de republica Christiana meritis administranda commissa. Huic subjectæ ad DD. Joannis Baptiste, & Evangelistæ in Hagenberg altera, altera ad D. Ægidii in Donnerspach. III. ad D. Jacobi Majoris in Lassing. IV. ad D. Viti Mart. in Liezen. V. ad B. M. V. Gratiæ dictæ in Oppenberg. VI. ad B. M. V. Assumptæ in Pöls, quam anno seculi hujus septimo & tricesimo Augustissimus Imperator CAROLUS VI. Celsissimo Principe, & Archi-Episcopo Salisburgensi, & Clemente XII. felic. record. Pont. Max. annuentibus à quopiam è Rotenmannensium Collegio administrari voluit. Sa-
 cer ejusdem Curio Archi-Diaconi, & Consiliarii Ec-
 Prepositi Il-
 lystr.
 clesiastici Salisburgensis dignitate eminent. Clavum
 Collegii hujus tenuit primus JOANNES Jung de
 Dinckenpichl ex inclito Viennensi ad D. Dorotheæ
 Collegio cum sociis huc missus, qui virtutem præ-
 clara cum eruditione conjunxit. Septendecim ab
 hujus morte Praefulibus Collegium paruit. In his
 virtute, rebūsque gestis immortale sibi nomen con-
 fecere. UDALRICUS de Constantia vir omni literarum, & virtutum genere ornatissimus. JOANNES Kuglperger primus è Rotenmannensibus mitræ prærogativâ à Pontifice, & Archi-Diaconi per vallem Anasi, & Paltæ ab Archi-Episcopo Salisburgensi dignitate auctus. MAGNUS Praitenpaumer, qui no-
 minis mensuram naturæ, animique dotibus imple-
 vit.

vit. SIGISMUNDIUS à Kleubenstein pari in rebus
agendis prudentia, & in ferendis adversis fortitudi-
ne. DAVID à Wolckendorff genere, virtute, lite-
ris, & Archi-Diaconi per utramque Styriam dignita-
te clarus. JOANNES Muchitsch, qui hæresi in
Styria ea tempestate invalescenti se murum objecit.
MARTINUS Strammer, cujus operâ geminæ in
templo aræ surrexere. A Ferdinando Romanorum
Rege Consiliarii dignitatem Hospitii mercedem ab-
stulit. ANDREAS Pechinger, quem sibi Bambergensis
Antistes à consiliis esse, Styriæ verò ordines Patriæ
universæ prospicere jussérunt. His alii quoque ac-
cedunt, quos annales domestici magnis, meritisque
laudibûs extollunt. Collegium temporum injuria
solutum, anno verò seculi hujus sexto, & tricesimo
instauratum summa cum potestate administrare jussus

REVERENDISSIMUS, PERIL-

LUSTRIS, AC CLARISSIMUS

DOMINUS, DOMINUS

JOSEPHUS ALBINUS

De Apostolis, Cæf. & Celeber. ad D. Ni-
colaum Can. Reg. S. August. & Congr. Later.
Decanus Perpetius, & Administrator Cæf. &c. Celfissi-
mi, & Rev. S.R.I. Principis, & Archi-Episc. Salisb.

Consil. Eccl. Protonotarius Apost.



RUNENSE MONASTERIUM.

Origins

Amplissima dynastia Eppensteinensi ab Henrico II. Carinthiæ Duce , stirpis suæ postremo , supremis tabulis sibi transcripta Leopoldus IV. Styriæ Marchio , cui Fortis cognomen adjectum , ut superum in se munificentiaæ gratiam referret , lacræ Cisterciensium familiæ , cuius fama ob eximiam D. Bernardi , tum adhuc in vivis agentis , sanctimoniam Europam impleverat , ædem sua in provincia exstruere decreverat . Valle Runensi vulgo Reüenthal altero à Styriæ Metropoli lapide distante eum in finem à Waldone Comite , loci To- parcha permutatis agris comparata , evocatisque ex Eboracensi Franconiæ cœnobio anno MCXXIX. sa- cri hujus Ordinis viris templum Assumptæ in Cœlos Virgini Matri sacrum è quadrato lapide erigere cœ- perat , jámque totius ædificii posuerat fundamenta , cum mors Principi optimo perfecti operis tam egre- gii gloriam invidit . Ingressa fuerat in mariti curas Sophia vidua , Henrici Guelphici Bojorum Ducis fi- lia , Friderici I. Cæsaris matertera : ea sibi rei hujus gloriam relictam esse existimans cœpto nuper à Leo- poldo ædificio fastigium imposuit . Quo etiam Ot- tocarus Leopoldi filius V. Styriæ Marchio in hoc pa- ternæ liberalitatis monumentum fuerit animo , argu- mento est , quod itineri in Palæstinam iam accinctus eò excurrerit , & velut pietate à superis armis suis fortunam empturus cœnobium hoc , subinde etiam à Conrado III. Imperatore ditatum , novis possessio- nibus auxerit . Ut verò tam læta Monasterii hujus initia firma essent , & stabilia , Conradus Juvaviensis Archi-Episcopus , & Romanus Episcopus Gurcensis ejus-

ejusdem jura , ac bona in magna Procerum Styriæ &
 populi frequentia anno ejusdem saeculi XII. octavo
 & trigesimo confirmandō effecēre. Cineres Leo- *Monumenta*
 poldi hac in Basilica , etsi tumulus ignoretur , esse
 repositos , sunt , qui ex filii , & nepotis literis confi-
 cere studeant ; tabulam tamen rei hujus testem , quæ
 ad sinistram olim templi porticum conspiciebatur ,
 pluribus de causis sibi minus videri genuinam ipsi
 Asceterii hujus incolæ , dum de ea tacent , indicant.
 Certius aliud , neque minus illustre Ernesti Ferrei ,
 Austriæ Archi-Ducis ad dexterum præcipui Altaris
 cornu exstat monumentum , cuius marmori incisa
 hæc verba leguntur : *Obiit Serenissimus Princeps Domi-
 nus Ernestus Archi Dux Austriae , Styriae , Carinthiae , Car-
 nioliae , &c. anno Domini M. CCCC. XXIV. decima die
 Mensis Junii. Requiescat in sancta pace.* Multò tamen *Strassengl.*
 sunt augustiora ædis sacræ clivo , qui mille passus
 abest Runâ , impositæ ornamenta. Redux è Palæ-
 stina Ottocarus V. cum nihil admodum illa expe-
 ditione esset profectum , pro spoliis tabellam coeli-
 tum Reginam tenera adhuc ætate , defluentibus in
 humeros capillis , junctis ante pectus manibus refe-
 rentem attulerat. Hanc ille ex Archetypo , quod
 à D. Luca pictum Hierosolymitano in templo tum
 visebatur , effigi curaverat , eoque , quem suprà in-
 dicavimus loco , Strasindl olim , nunc Strassengl , di-
 cito religiosè colendam proposuit. Exiguæ erat mo-
 lis , qua præclarum hoc pietatis , & antiquitatis mo-
 numentum servabatur , & ligno duntaxat constructa
 Ecclesia , ut gloriari possit Cistercium Runense se il-
 lam ab eodem Marchione anno MCLVII. accepisse
 ligneam , & lapideam fecisse. Aucta plurimùm est *Crucifixus.*
 loci hujus celebritas , posteaquam anno supra millesimū
 ducentesimō quinquagesimō quintō radix il-
 la , in qua natura morientis in cruce Servatoris effi-
 giem prodigiō expressit , per pecora in pedes pro-
 cum-

cumbentia, crebrisque mugitibus linguae supplentia officium prodita, ex abiecte, cui adhæserat, avulsa, atque in Deiparæ Basilikam fuerat translata. Eam tabulæ Runenses memorant huic inesse virtutem, ut conspecta solūm hominum, quorum jam obduruit, & percalluit malitia, pectora nullō negotiō frangat, atque emolliat. Innumera inter prodigia illud facile princeps haberi potest, quod eadem tabulæ in annum M. CCCXLII. referunt. Incesserat Frideri-

Prodigium. cum IV. Romanorum Imperatorem cupido hoc Christi simulacrum, quo frequentior salutis nostræ vindicem in eo colendi esset copia, Viennam secum deferendi, & jam comite Pontificis Legato ad pontem Peggaviensem uno ab Ecclesia milliari remotum sacram hunc thesaurum secum deportarat; cùm equi repente subsistere, nequidquam vi, atque calcaribus impelli, immoti eodem hærere in loco. Priusquam verò Imperator de effigie eò, unde acceperat, referenda cogitandi spatium esset nactus, illa eodem, quem antea occuparat, in loco fuisse reperta scribitur. Certè, si prodigia abessent omnia, divini aliquid huic radici inesse ipsa temporis diuturnitas persuadet, quæ, cùm nihil non consumat, hanc tamen tot annorum interwallō integrum reliquit, & incorruptam. Ut peregrinantium foveant pietatem plures Runâ huc translati ædes templo continentis incolunt. Locus træcto ab eo, qui præest cæteris, nomine Præpositura audit. Singuli verò divinis mysteriis procurant animas I. in oppido Gradwein, & vicinis huic pagis. II. ad D. Martini in Veistriz, & Peggau. III. ad D. Ægidii in oppido Sembriach ad montis Geffaci pedem. IV. ad D. Laurentii in Ybelbach. V. ad D. Pancratii ad montem Plesch. VI. ad D. Bartholomæi penes amnem Lybach. VII. ad D. Stephani penes Muram in Gradkorn. VIII. ad D. Jacobi in Valle. Runense cœnobium octo ejusdem facri

Sacri Ordinis Asceteria velut matrem venerantur.
 Quorum tria Sitticense scilicet in Carniola, Neostadiense in Austria, & Schlierbacense eadem in provincia suas ex illo colonias deduxere. Quinque vero hæc posteriora nimis Campo - Liliense in Austria, Victoriense in Carinthia, Fontense in Carnolia, Sanct - Gotthardense in Hungaria, & Dopolskense in Croatia aliquot post annis pio, arctoque huic fœdere adstrinxerunt. Summam rerum apud Runenses GERLACIUS è Comitibus de Dinkenstein
 Franco à Beato Adamo primo Eboracensis in Franconia Monasterii Abbate cum duodecim Religiosorum virorum manu in Styriam missus primus administravit. Excepit hunc OTTMARUS, qui illustri Comitum de Schallach sanguine genitus Ottocarum I. Styriæ Ducem cognitione attingens generis claritudinem virtutum auxit splendore. Ottmarum WILHELMUS eximiâ vir sanctimoniam è dynastarum Mureggensium stirpe oriundus. Wilhelmum CONRADUS de Grodno pari religionis studio & morum sanctitate. Conradum THEODORICUS. ENGELBERTUM antiquo Comitum Helfensteiniorum genere natum ob egregias naturæ, animique dotes suffeßtò Ludovicô ad regendum Eboracense in Franconia Cistercium fuisse translatum annales domestici, è quibus hæc excerptimus, narrant. E reliquorum numero nomen suum posteritati commendarunt. CHRISTIANUS Haffer Maximiliano Imperatori à consiliis, & sacris confessionibus, idemque verbi divini præcō. JOANNES Lindelaub Supremus Styriæ Præfectus, Capitaneum dicunt vulgō. GEORGIUS Freyseisen Cælaris primū per interiorem Austriam Vicarius, tum ærarii (Cameram appellat vulgus) quadrienniò Præses. BALTHASAR Styber ter Patriæ Pater nominatus. Geminos etiam geminæ sibi vendicarunt insulæ, Lavantina quidem ALME-

Abbates II.
 lustr.

ALMERICUM Graffendorfer ; Neostadiensis verò
 MARTINUM Düelacker , qui antea jam Callipolen-
 sis Antistitis dignitatem cum Abbatis munere con-
 junxit , ob plurima apud sacram hanc familiam col-
 locata merita primò à conditore cœnobii hujus loco
 à suis habitus . Domesticum verò mitræ decus red-
 didit quartus à vigesimo Runensium Præsul HER-
 MANUS Molitor , qui eam sibi , suisque successori-
 bus dignitatem à Basileensi Concilio ope Frideri-
 ci IV. Imperatoris anno M. CCCCXLIV. impetra-
 vit . Concessam à Concilio prærogativam anno
 mox sequente Eugenius IV. Christi summus in ter-
 ris Vicarius firmâsse non contentus ejusdem Frideri-
 ci Imperatoris precibus adductus Runæ Abbatibus ,
 cæteris quoque pontificalibus utendi insignibus , so-
 lenni ritu populo bene precandi , calices , vestes fa-
 cras , aliisque templorum ornamenta consecrandi ,
 minoribus , uti appellant , ordinibus suos initiandi , &
 cruces aureas è collo pendulas gestandi fecit pote-
 statem . His denuò stabilitis Clemens VIII. sub se-
 culi decimi sexti finem æs campanum , quō ad Divi-
 vina obsequia vocatur concio , religiosis ceremoniis
 consecrandi facultatem adjecit . Quantum reliquis
 Asceterii hujus Præsidibus Summi Ecclesiæ Pastores
 detulerunt , tantum huic , qui Abbatum quadraginta
 & unius successor hodie Runam gubernat , or-
 nando sacer Cisterciensium Ordo universus studere
 videtur ; nam coacto ex universa sacra hac familia
 conventu à supremo Ordinis capite Vicariam ei Ci-
 sterciensia per Carinthiam , & Carnioliam lustrandi
 cœnobia , eorundemque Abbates Mitrâ , cæterisque
 dignitatis hujus insignibus condecorandi collatam
 fuisse potestatem ex tabulis Runensibus didicimus .
 Ædificium , in quo splendorem religiosa temperat
 modestia , hospitum commodis erectum ; templum
 è ruderibus suis excitatum non postrema inter Mo-
 nastrij

nasterii hujus decora sunt numeranda, quorum
prius cœpit, perfecitque, alterum jam propè ad
culmen perduxit

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
LUS TRIS. AC AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS
PLACIDUS,**

Sac. ac Exempti Ord. Cisterc. Celeb.
& Antiquiss. Monast. B. M. V. de Runa, Dei
Gratia Abbas Vigilantis. nec non ejusdem Sacri Ord.
per Carinth. Carniol. partésque Austriæ Pater Imme-
diatus, & Vicarius Generalis; Sac. Cæs. Regiæque
Cathol. Majestatis, &c. &c. Consiliarius, Inclyt. Stat.
Provinc. Ducat. Styriæ Députatus.



SECCOVIENSE

COLLEGIUM.

SPe omni sobolis, posteaquam ad alteras etiam
nuptias processisset, orbatus Adalramus de Wal-
dcke

Origo.

deke Dynasta clarissimus , ut eam , quam in maximis
 ponunt parentum plerique , calamitatem ad salutem
 converteret ; Numen ipsum , cœlitesque neglectis
 necessariis anno MCXL. hæredes scribere constituit,
 bona sua , si cognatis testamento tradiderit , sement
 fore , è quo non paucæ inter illos lites enascan-
 tur , si ad eum , unde , profecta fuerant , fontem
 jusserit redire , è quo confecto etiam vitæ curriculo
 messem ipse uberrimam colligat , haud immerito ar-
 bitratus . Quamobrem iis , quas Carinthiam versus ,
 circa Hartbergam , juxta Muram fluvium , vel in Mar-
 chia habebat , possessionibus , adjectis facellis duobus
 S. Mariæ in loco Festrice altero cum dote Plaie , al-
 tero S. Joannis Evangelistæ cum dote Altendorff ea
 se lege exuit , ut in illud Ordinis S. Augustini Cano-
 nici immigrarent . Chunradum Archi - Episcopum
 Salisburgensem , & Romanum Gurensem , à quibus
 rei hujus veniam sibi fieri postulabat , adeò faciles in
 preces habuit , ut ille etiam è Salisburgensi S. Rud-
 berti Collegio missò cum sociis aliquot Wernherò
 consilia Adalrami promoverit . Annò M. CXLI. Wern-
 herus Frisaci Præfus electus . Electionem Chunra-
 dus probavit . Quod is , in quo primum consede-
 ravit , locus ad religiosam quietem minime condu-
 ceret , novam anno MC XLII. in Seccovve stationem
 moliebatur Adalramus . Negotium tueri jussus Wern-
 herus rem apud Innocentium II. Pontificem è sen-
 tentia gessit . Annò MC XLIII. Hartmannus Brixii.
 nensis Antistes templum triumphanti cœlitum Re-
 ginae præcipue dicatum religiosum fecit . Quo an-
 aliud Styriæ plura aut illustriora numeret moni-
 menta haud scio . Arte , marmore , signis magnificum
 sibi , posterisque suis in hoc posuit Carolus Archi-
 Dux Austriæ . Quà funebris moles Septentrioñem
 spectat , Patientis , & Redivivi Servatoris nostri my-
 steria refert . Ibidem Carolus , & Maria conjux , è
 Pario

Patio sculpti lapide quiescunt. In fronte marmorei
 hujus pegmatis, Caroli eminet insigne, quod verba
 hæc ambiunt: *Carolus Sereniss. Archi-D. Austr. & C. his
 positus A. M. D XC.* Ad pedem verò Mariae conjugis
 cum hac inscriptione: *Maria utriusque Bavar. Ducis, &
 C. conjux quondam Caroli charissima.* Telamones
 utrinque quo genii. Sacellum novem Augustos
 Austriacæ Familiæ cineres tegit. Nomina singulis
 præfixa sepulchris adscribimus. I. *Maximilianus Er-
 nestus Archi - D. Austr. Ord. Teuton. Commendas, suam
 aeternam Deo animam, suum tantisper huic urnæ com-
 mendat corpus natus Græci 1583. die 17. Novembris, vita
 functus 1616. 18. Februarii. II. *Carolus Archi-D. Austr. Dux
 Burgun. Styg. Carint. Carni. ac Wirtem. Comes Tyro. &
 Gori. ætatis sua 50. annorum, obiit 10. die mensis Julii anno
 1590. III. Catharina Renata Archi - Dux Austriæ, Ca-
 roli Filia ex hac lachrymarum valle piissimè decessit ætatis
 anno vigesimo Annō 1595., 29. Junii. IV. *Gregoria
 Maximiliana Archi - Dux Austriæ, Caroli Filia, Sponsa
 Philippi III. Regis Hispaniæ ex hac lachrymarum valle
 piissimè decessit anno ætatis sua decimō sextō. Annō
 1597. 20. Septembris. V. *Elisabetha Archi - Dux Au-
 striæ obiit anno 1586. 28. Janu. ætatis sua anno nonō.
 VI. Ferdinandus Filius Caroli Archi - Ducis Austriæ,
 obiit duodecimo à nativitate die anno MDLXXI.
 prima die Augusti in Judenburg. VII. *Carolus Archi - Dux
 Austriæ, Filius Caroli, 10. mensis natus obiit
 1580. 17. Maji. VIII. *Christina Ferdinandi Archi -
 Ducis Primogenita obiit 12. Junii anno Christi MDCI.
 unâ horâ à sua nativitate. IX. *Carolus Archi - Dux
 Austriæ, Filius Ferdinandi obiit die XXV. Maji anno
 MDCIV. dimidiâ horâ à sua nativitate. E nobili &
 avita stirpe Pranckiana liberalitate sua de Ecclesia Sec-
 coviensi optimè merita non pauci hic tumulo illati.
 Duo præter illud, cuius modò meminimus, sacella in
 eadem Basílica conspicuntur. Alterum Episcoporum*******

Seccoviensium, quod eorum effigiebus, additis SS. Patrum sententiis lectissimi exornavit Martinus Episcopus Styriæ Apostolus, ipse Pontificalem indutus amictum ibidem candido in marmore affabre expressus. In sacrarii latere sepulturâ donatus Georgius Überacker Episcopus Seccovieñsis. Imminens marmori tabella viri dotes ac virtutes enarrat. Alterum Liechtenstainense, quod ab Udalrico de Liechtenstein, & Berchta conjugé non modica eam in rem pecunia effusa inchoatum, ab Ottone Filio Camerario Styriensi perfectum sempiterna religione Sanctissimæ, & Individuæ Trinitati, Matri Virgini, nec non SS. Apost. & Evang. Joanni & D. Catharinæ V. M. obligavit Bernhardus Episcopus Seccov. anno MCCLXXIX. pridie Non. Maji. Extra Ecclesiæ septa perantiqua Divinæ Matris filium gremio foventis imago colitur. Hæc ex arbore forte suspensa Adalramo hoc ipso in colle circumspicienti omnia vocibus istis (ut constante fama traditur) *Hic seca!* novæ fabricæ locum designavit. Cujus rei ne ulla ætas deleret memoriam, eandem in signum suum majus, ac solenne transtulit Collegium hīs verbīs adscriptis : *Signum Capituli Sanctæ MARIAE Seccoviensis.* Eidem Virgini maculæ omnis experti ob prohibitam à Collegio luem Epidemiam positum à Seccoviensibus ex ære simulacrum columnæ marmoreæ insistens, immani quidem illud turbine eversum, sed tribus abhinc annis eleganter refectum. Ecclesiæ, quarum item Collegio huic cura demandata, sunt I. ad D. Jacobi in oppido Seccau. II. ad S. MARIAE in Paradiso, cui aliæ duæ obnoxiae. III. In Civitate Knitfeld, cui adjuncta alia. IV. ad D. Margarithæ prope Knitfeld, quæ tria templo appendicis loco habet. V. ad D. Ruperti in Chumbenz, cuius altera velut filia. VI. ad S. Stephani in Schönberg. Harum Parœciarum jus summum obtinet Præfus Seccoviensis. Plures in Dioecesi Seccoviensi sitas eidem Archi-

Parœcia.

Archi-Diaconi dignitas subjicit. WERNERO Gallo ^{Prepositi Il-}
 ler primo, quod supra diximus, Collegii hujus Antistiti-
 ti eam, hereditate velut ad posteros omnes devol-
 vendam Conradus & Eberhardus Archi-Episcopi Salis-
 burgenses contulere. Viri integritate vita, morum
 comitate, ac singulari eruditione ornatissimi laudes su-
 pra item attigimus. Addendum hoc loco, eum ab
 Ottocaro V. Styriæ Marchione, cuius fidei, & tutelæ
 Collegium commendarat, multis, magnisque cumula-
 tum fuisse beneficiis, non vulgare etiam à Wernerio in
 in Voraviennes fuisse profectum, dum primum incly-
 to huic Collegio Antistitem dedit Luitpoldum.
 Wernerii successorum nomina ex ordine recensere,
 ut maximè ferat animus, foliorum prohibent angu-
 stiae. Qui in annalium memoria conspectiores vi-
 dentur, sunt GEROLDUS ab Eppenstein, quo gu-
 bernacula tractante, cum Eberhardus II. Archi-Epi-
 scopus Salzburgensis annuente Honorio III. Pontifi-
 ce Styriam anno MCCXVIII. aut sub initium anni
 XIX. ut Salzburgensia habent Chronica, Episcopi
 fede ornasset, Seccoviensis Ecclesia salvis prioribus
 suis immunitatibus ad Cathedralis dignitatem fuit
 elevata. HERMANNUS Schachner, qui è religiosa
 sua palæstra primùm inclyto Stainzensium Collegio
 Præfulem Geroldum suppeditavit. OTTO ab Ern-
 hausen, animi res inter adversas fortitudine eximia,
 parique modestia, qui multa mortalibus curis salute
 dicta sacræ D. Dominici Familiæ nomen dedit. OR-
 VOLFUS à Pranck instauratō, quod incendium nu-
 per deleverat, Collegiō, recuperatisque ejusdem
 prærogativis, ab Udalrico Seccoviensium Episcopo
 pertinaci morbo conflectante in laborium, ac oneris
 partem vocatus. HENRICUS Peüzel de Trofeyach,
 qui multis à Wochone Episcopo Seccoviensi auctus
 beneficiis turri magnificæ ab eodem cœptæ supre-
 mam manum adjecit. DIETMARUS Cholbo ab

Eccles. Ca-
ticed.

Ehrnfels, qui antiquos, sacrōsque Ecclesiæ hujus ritus unum in volumen congesit, nec minus feliciter in se legendos expressit. PETRUS Freüssinger ab Innocentio VI. Pontificalia sumendi insignia potestatem adeptus. UDALRICUS Colusser amore, quo in suos ferebatur, Pii, & Benigni cognomen sibi proximus. Laudes hujus suspensum è turri principe centum viginti centenariorum æs campanum sonat. ANDREAS Enstaller, qui suæ in cœlitum Reginam renovato ejusdem & Collegii templo præcipuo liberalitatis mercedem tulit amplissimam: ob compressam quatuor jam abreptis luem, ædiculam D. Martha honoribus sacram construxit: sacrum revocati ab inferis Lazari memoriæ diem supplicantium agmine celebrari jussit. JOANNES Dyrnberger omnibus propè Ecclesiis, quas furor Turcicus evastarat, reintegratis, sacrāque suppellestili instructis, Cathedrali cumprimis, Odæo eleganti, aris pluribus, organo, cui non facile aliud conferas, exornata, obtentis ab Alexandro VI. Congregationis Lateranensis prærogativis, erecto Mariano cœtu, & Xenodochio, auctis Collegii vestigalibus, arctiore sibi suos vinculo obstringere visus, quam ut merita illius referenda gratia consequi possent. GEORGIUS Schärdinger, qui ad Concilium omnium provinciarum totius Episcoporum Salisburgum à Leonardo vocatus, ea itineris, temporisque usus opportunitate conventum in Knittlfeld coëuntibus ex tota Dioecesi Seccoviensi Parœciarum rectoribus celebravit. LEONARDUS Arnberger scriptis annalibus, gravibus, quas in sacris cœtibus dixit, orationibus, aliisque opusculis posteritati transmissis clarissimus. LAURENTIUS Spillberger ob collocatam Carolo Archi-Duci in profliganda hæresi operam ab eodem auctæ Sacellanus, ob peculiares ad regendum dotes ab Styria ordinibus Pater Patriæ nominatus. SE-BASTIA,

BASTIANUS Küeler. Is procurato jāw decem annis Bulgariensi in Austria Collegio p̄eclarē in gubernandi arte versatus, Ferdinandi Archi - Ducis in negotiis sibi impositis non implevit modō, sed superavit etiam expectationem. Gestī ab eo summa cum laude in Provincia muneris in argenteā moneta ejusdem honoribus procusa exstat monumentum. **ANTONIUS** de Potiis, SS. Theol. Doctor, cui eum, quem habet splendorem, prop̄e omnem Collegium refert acceptum; nam ædificio illud novo ornavit, quatuor turribus velut propugnaculis totidem cōmunitavit, sacram Ecclesiae aurō & argentō auxit suppellectilem, Bibliothecam libris ditavit, accepta pluribus retro annis damna resarsit. Qua perspecta ejus rerum administrandarum felicitate ter eidem Styriæ Proceres Patriæ curam demandârunt. **MAXIMILIANUS** L. B. à Gleispach, SS. Theol. Doctor. Magna in hoc fuere omnia, natales, virtus, sapientia, disciplinæ amor, industria, authoritas, sed maximus in suscipiendo, & perducendo ad exitum negotiis animus. Ter illum in Comitiis sibi Patria Patrem sumpsit. Augustissimus Cæsar Leopoldus, quem Seccovii hospitio acceperat, sibi à consiliis esse jussit. **PAULUS** Franciscus Poiz, cuius memoriam magno honore & laudibus prolequuntur Seccovienses, dum in posito ab se monumento: à cura, sollicitudine, affectu amantissimum Patrem. A zelo, vigilantia, moderatione laudatissimum Præfulem. Germanum veteranæ virtutis, pietatisque cultorem appellant. **MAXIMILIANUS** Mayr, SS. Theol. & Can. Doctor insignis, qua excultus erat, litteraturæ prœmium, decusque supremum Romæ consecutus, clarum olim arcani Pataviensis Senatūs, dein Collegii sui fidus. Percensere omnes, quos varia Ordinis hujus extra Styriam etiam Collegia ex hoc sibi Præsides sumpscre, non attinet. E Seccovii Præfulibus nemo est, qui non .

aut ob vindicata Collegii, Paroeciarum, Archi-Diaconatus jura, lites sapienter compositas, auctam rem familiarem, sacrāmque Ecclesiæ suppellectilem, aut alia virtutum ornamenta, variāque Collegio allata, commoda à scriptore domestico meritis laudibūs celebretur. Quos inter octavum & trigesimum locum obtinet anno XXXVII. electus, & à Jacobo Ernesto è Com. à Liechtenstain Princ. & Episc. Sec. cov. hodie Episc. & Duce Olomucensi confirmatus.

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
LUSTRIS, AC AMPLISSIMUS**

DOMINUS, DOMINUS

**FRANCISCUS
XAVERIUS,**

Cathedralis Ecclesiæ, & Exemptæ Canoniciæ Seccov. Praepositus, & Archi-Diaco-nus Natus, Abbas Lateranensis, Sac. Cæf. Regiæque Cathol. Majest. Consiliarius, &c. &c.



SEIZENSIS CHARTUSIA.

Eventus prodigo quām simillimus Ottocarū V. Origā Styriæ Marchionem ad moliendam sacram hanc
ædem incitavit. Subiectam oculis in venatione, quā
per nemora Gonovicio Styriæ inferioris oppido vici-
na animum remittebat, miri candoris cervam, dum ad-
motis equo calcaribus consecutatur : spes una & fera
è conspectu sublata per varias ambages in vallem de-
ductum destitunt. Cursus celeritate in languorem
dato mollior fortè cespes torum, quo vires quiete
reficeret, præbuit ; fusum in herba somnus complecti-
tur. Secundūm quietem Divus Servatoris nostri Pro-
dromus specie supra humanam augusta Marchioni se
se objicit, monētque, hic loci ejus instituti viris, quos
ipse ueste redderet (candida illa & in cucullum sur-
gens) fedem constitueret. Hærenti ad hæc, tum ve-
rò etiam neganti Ottocaro, nōsse se unde gentium
essent evocandi, è Delphinatūs rupibus, quibus Char-
tusiæ nomen, huc esse invitandos simul, ac reposuit
Divus, evanescit. Non tamen ea species, sed lepu-
sculus, cui venatorum turba herum per avia vestigans
fugam omnem præceperat, in dormientis gremium
velut asylum se conjiciens Principi somnum excusse-
rat. Eo solutus valli D. Joannis nomen imposuit,
primāmq; ibidem Annō MCLI. totius Germaniæ
Chartusiam condidit. Ab eo, quem modò narravi-
mus, eventu sacræ huic solitudini nomen Seiz, quod
vox ea Vindis leporem significet, hæsisse plerique
existimant. Principis ossa, qui vitæ antea, quām
itineris in Palæstinam religionis ergo suscepit Quin-
que Ecclesiis metam attigerat, in Styriam translata
primū, eodem in loco, quo brevem, suavēnque il-

Original


Monumen- tum.

Iam , nunc candido sub marmore perpetuam capere quietem Seizenses affirmant. Suos Chartusia hæc incolas Alexandro III. ad clavum naviculæ Petri sedente è prima illa , alperrimaque D. Brunonis in Gallia solitudine accepit. Cæteris ab Ordinis Moderatori præesse jussus BEREMUNDUS , qui ad ipsos , ut perhibent , Angliæ Reges genus suum referebat. Impositum munus omen videri potuit ejus dignitatis , quam in Galliam ad Sistaricenses infulas revocatus , non multò post fuerat adeptus. Septem & septuaginta adhuc Præfules (Priores tantum dixere olim , inde ab Augustissimi Imperatoris Leopoldi temporibus Priores simul , & Prælati audiunt) Asceterium hoc cum imperio & potestate obtinuere. Peculiari laude in annalibus domesticis afficiuntur NICOLAUS , quo Præside templum per Godefridum Patriarcham Aquileensem sempiterna religione devinctum. Domus quoque non exigua cepit incrementa. PETRUS , cuius fama rupes illas , & solitudinem egressa Viri providentiâ , & vitæ sanctimoniam in paucis eminentis apud exterorū etiam illi nomen confecit. Hac forsan de Petro concepta existimatione adductus fuerat Leopoldus à Gonobitz , ut ab eo , conjugē id summa animi voluntate ferente , in illorum cœtum , quos Ordo hic Conversos appellat , peteret cooptari. GODEFRIDUS postquam annis octo Seisensem gubernâset erectæ tum primum in Austria Maurbacensis Chartusiae , subinde etiam conscientiæ Friderici III. Imperatoris arbiter , ac moderator constitutus. Ejus industriae & conatibus Ordo Tyrolensem in Schnolz , geminas in Hungaria nempe Lapidis Refugii , & Vallis S. Antonii , quas quidem Turcicus furor demolitus est , Gemicensem in Austria constitutas Chartusias refert in acceptis. Seisensem cum ipse regeret , Fridericus missō nuncio dignitati , qua in D. Lamberti Cœnobio summa fungebatur , D. Brunonis institutum ibidem

ibidem complexus est. JOANNES Parenfis Ordinis simul universi Præses, qui ab Urbano VI. easdem Sezensi, quibus major in Galliis gaudet Chartusia, prærogativas exoravit. CHRISTOPHORUS Ordinis item totius Gubernator. B. STEPHANUS Senensis simul Seizenfis, & universæ D. Brunonis familiæ Rector supremus, qui depositâ cā provinciâ, ut Ordo aliquot abhinc annis duas in partes distractus Italis, & Germanis Urbanum VI., Gallis verò & Hispanis Clementem Anti-Papam sequentibūs iterum coaleceret, perfecit. ANDREAS, qui cum sociis de jurato Christiani nominis hoste vitam nā & sanguinem profundendō triumphavit. VIANUS Gravel consilio magnus, & religione, qui collapsam penitus Chartusiam instaurandō, Authorem ejusdem meritiss penè æquavit. Pluribus idem annis Provinciam universam inspexit. CASPARUS Ordine inter eos, qui munere cum vita defuncti, postremus, vigilantiâ verò, animi in omni fortuna æquitate, charitate in fratres, cæterisque virtutum ornamenti nemini secundus. Eorum, qui ex hac ad regendas varias Chartusias fuere translati, referre, nomina, & decora hujus loci non esse duximus. Seizensem hodie moderatur

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
LISTRIS, AC AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS
MELCHIOR,
DEI Gratiâ Celeberrimæ, & per uni-**

versam Alemanniam Antiquissimæ Chartusæ in
Seiz Prior, & Prælatus, Sac. Cæs. Regiæque Ca-
thol. Majestatis Consiliarius, &c. &c.



STAINZENSE COLLEGIUM.

Orig.

Luitoldo Comiti de Wildonia, cui ex avita, & illustri Liechtensteiniana familia uxor erat, initia sua Collegium hoc deber. Hujus etenim liberalitas Seccoviensi Episcopo, & Archi-Episcopo Salisburgensi annuentibus, amplæ in inferiori Styria regionis, quam ditione tenebat, partem, æsque largè suppeditavit, quo ædes sacra, quam D. Catharinæ Virginis & Martyris honoribus dicatam voluit, & Collegium viris D. Augustini institutum professis ab eodem traditum, anno seculi decimi tertii octavô, & vicecimo surrexit. Probavit hæc non modò, sed & pro ea, qua in terris pollet, authoritate, stabilivit Innocentius IV. Pontifex Maximus dato ea super re Diploma-

plomate Lugduni in Gallia X. Kalend. Martii Annis
 M. CCXLVI., Pontificatus vero sui IV. Non mino-
 ri Ecclesiam & Collegium hoc complexi sunt benevo-
 lentiā Annō M. CCLVII. Stephanus Belae IV. Illustris
 Hungariæ Regis filius, qui, dum Styriam tenuit, ea
 non in suam modò, sed Patris quoque fidem recepit.
 Annō vero ejusdem seculi sexto, & septuagesimo Ot-
 tocarus Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Styriæ & Carin-
 thiæ, Marchio Moraviæ, Dominus Carnioliae, qui &
 Ecclesiæ hujus prærogativas, ac bona rata habuit, &
 iisdem in literis prolixè de sua voluntate est pollici-
 tus. Duo in templo illustria est videre monumen-
 ta. Dynastæ Wildonensis alterum, qui licet Viennæ
 in Austria extinctus Idib. Aprilis annō M. CCXLIX.
 non alio tamen sub lapide, quam eo, quem ipse pri-
 mum jecerat, cadaver suum voluit quiescere. Alte-
 rum Celsissimi ac Reverendissimi DD. Wenceslai Wil-
 helmi Comitis ab Hofkürcher Episcopi Seccoviensis,
 qui VIII. Id. Novemb. annō M. DCXXVIII. rebus hu-
 manis eruptus XXI. Mensis ejusdem persolutis justis
 solennibus hic tumulo illatus. Inter Parœcias pri-
 mum ipsa Stainzensis Ecclesia locum obtinet. Reli-
 quarum numerum una, quæ à D. Stephano nomen
 habet, tum loci asperitate, tum incolarum frequen-
 tia, facilè enim quinque millia excedere scribuntur,
 abunde compensat. Primus à Conditore ipso An-
 no M. CCXXX. Collegio huic præpositus GEROL-
 DUS. Vitam cum Magistratu duodecimo abhinc,
 quo adierat, anno, illo adhuc superstite posuit. Ab
 hoc decimus septimus SIGISMUNDUS à Lembsit pri-
 mus à Pontifice mitrâ ornatus. Quem ex reliquis
 annorum series postremos inter collocavit, præclarè
 gesta super alios evexere. Est is Reverendissimus D.
 JACOBUS Rosolenz SS. Theol. Doctor, qui Luthe-
 ranæ hæresi ea tempestate in Styriam se infundenti
 totis viribus fuerat obnitus, atque ne mors illi arma
 aliquan-

*Monumenta**Parœcias**Præpositi Il-
lustr.*

aliquando excuteret, librum Anti-Rungium inscriptum vulgavit typis, quo post fata etiam Religionis hostes impugnaret, & R.R. P.P. Capucinis in Racker-spurg (Styriæ inferioris est Civitas) domicilium firmum veluti adversus eosdem propugnaculum constituit. Tantis etiam tamque egregiis ad profanam rem publicam administrandam dotibus instructus, ut à Serenissimo Archi-Duce tunc temporis Græcii commorante, subinde Augusto Romanorum Imperatore Ferdinando II. Aulicæ, quam vocant, Cameræ fuerit præfectus. Ita totum sibi impositi munera curæ rapiebant, ut sui tamen eum abesse non sentirent, nam & rem familiarem multis partibus auxit, & Ecclesiam, qualis hodie spectatur, novis jactis fundamentis erexit. Magistratum tribus & triginta annis gessit. Non annis magis, quam meritis gravis vixit Græcii V. Non. Martii anni M. DCXXIX. Præclarè non minus de Collegio hoc meriti sunt Reverendissimi GEORGIUS Sigefridus ex Illustrissima BB. Jöchlunger familia, JOANNES Bernardus è LL. BB. à Paumgart ab Styriæ Ordinibus Patriæ Pater renunciatus ejus, qui hodie tenet gubernacula, frater Germanus, & CHRISTOPHORUS Horatius Carminelli, quorum primus anno M. DCLXXXI. novæ Collegii hujus structuræ initium fecit, posteriores duo supremam manum admovere. Omnes, qui præfuere, si ad calculum revocemus, quatuor, & triginta fuisse reperiemus, quibus successit

**REVERENDISSIMUS, ILLUSTRISSIMUS, AC AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS**

AMANDUS JOSEPHUS

Ex Illustrissima LL. BB. à Paumgart Familia Colleg. Ecclesiæ ad D. Catharinæ in Stainz,

Stainz, Canonicorum Regul. sub regula S. Augustini
Præpositus & Abbas Lateran. Sac. Cæf. Regiæ quo
Cath. Majest. Confiliarius, SS. Theol. Doctor,



VORAVIENSE COLLEGIUM.

Suscepto è conjugè non dignitatis modò, quam **Orig.**
ampliorem etiam, atque à Patre accepisset, po-
steris tradidit, sed virtutum quoque hærede Ottoco-
ro, Pater ejusdem nominis V. Styriæ Marchio di-
gnum tali pro munere cœlo pretium repræsentatu-
rus Collegium hoc Virginis Matris, & D. Thomæ
Apostoli consecratum honoribus annô M. CLXIII. **Templum &**
in prædio quodam suo Vorowe dicto construxit;
Conditoris sui cineres, quos Seizenses item sibi ven-
dican, Voravienses repetunt pluribûs, iisque gravis-
mis eam in rem è vetustis codicibus adductis testi-
moniis. Nos instituti nostri, brevitatisque memo-
res & proferendis illis, & lite hac decidenda super-
sedemus. Quod si res ingenio, & conjecturæ com-
Monumentum
mitte.

mitteretur, ut ut incertæ, non tamen vanæ forent illæ, quibus partium utraque dicitur. Harum altera, quod in Principum funeribus minimè insolens, sed, quem ostentat, tumulò cor tantum & intestina, alieno autem reliquas Marchionis exuvias contegi auguratur. Altera Patrem cum filio, V. scilicet Marchionem cum Ottocaro VI. inter Duces I. confundi opinatur. Cui favere videtur is, qui Ducum Styriæ res gestas literis commendavit, quod Ottocari tantum VI., non item V. Seizensi in Monasterio conditi meminerit. Campum, in quo sacer ille ardor mortales omnes ad virtutem adducendi excurrere solet, Collegii hujus in colis Parœciæ plures aperiunt I. Voraviensis ipsa D. Ægidio sacra, cui adjuncta alia in Reinberg, D. Nicolai dedicata. II. In Civitate Fridbergensi ad D. Jacobi Majoris, cuius velut sunt appendices in Pinkau altera, altera in Ehrnschachen. III. In Dechtenskirchen ad D. Stephani, & castro Thalbergensi ad D. Nicolai. In illa Jacobus Textor, quem & suis Voraviense Collegium vicaria potestate præfecerat, posteaquam incurantas quam plurimas ringentibus dudum hæreticis diuinæ Majestati obtulisset hostias, cruenta ipse anno M. DCXXI. eorundem manus viictima cecidit. IV. Ad D. Jacobi Majoris in sylvis. V. Ad D. Margarithæ in parvis Cellis, vulgo Wenigzell. Tanta hic loci D. Patritius Hybernen-sium Apostolus religione colitur, ut, quod facilius affluentem multitudinem caperet Ecclesia, accessio eidem fuerit adjungenda. VI. Ad D. Laurentii infra montem Wexel, cui obnoxia alia ad Div. Catharinæ in arce Yestenburgenſi. Mons ibidem saevis cruciatibus, atque obita præcipue acerbissima Servatoris nostri morte ad memoriam insignis ab advenis religiosè visitur. VII. In Waldpach: Minichwaldensem item Ecclesiam Voraviensis limitibus contineri, Conradus I. & Eberhardus II. Salisburgenses Archi-Episcopi

pi pronuntiārunt. Summam rerum apud Voravien-
ses tenuit primus LUITPOLDUS. E tribus & qua-
draginta, qui ab eo hactenus præfuerē, nōmen suum
ad immortalitatem consecrārunt. ANDREAS Brom-
beck, qui primus Mitræ, aliorūmque insignium di-
gnitatem Friderico Imperatore apud Nicolaum V.
Pontificem Maximum deprecatore in Collegium hoc
invexit. Idem ut Fridbergensis & ad D. Laurentii
Ecclesiæ Collegio procurandæ committerentur, à
Friderico Archi-Præfule obtinuit. LEONARDUS,
cui ob prudentiæ, sanctimoniacque existimationem
*Angelus Cardinalis Comes, Patriarchatus Aquilejensis gu-
bernator generalis.* Collegii Eberndorffensis Canoni-
corum Regularium in Carinthia cognoscendi, instau-
randæque in eo disciplinæ negotium dedit, eoque
feliciter, & è sententia confecto grates persolvit.
Ob easdem insignes prærogativas Leonardus *Conser-
vator & iudex Monasterii cuiuspiam constitutus fuit.*
In laude etiam non immēritò ponitur, quod eo Vo-
ratium moderante Mathias Episcopus Seccoviensis
Collegii hujus Ecclesiam potissimum designārit, in qua
plena illa noxarum poenarūmque condonatio pro-
mulgaretur, qua Pontifex Christianos ad suscipien-
dam adversus Turcam expeditionem ab effigie pen-
dantis è cruce Servatoris militum loricis incisa cru-
ciatam dictam invitabat. UDALRICUS de Weiz,
cui cùm antiquior Collegii, quām dignitatis pro-
priæ esset cura, positā insulā Romam profectus plu-
rimas, quibūs frueretur deinceps Collegium, à Pon-
tifice prærogativas abstulit. AUGUSTINUS
Geyer Sacro - Sanctæ Theologiæ Doctor, sive dum
domi conservaret disciplinam, de Collegio : si-
ve dum foris avita sacra contra hæresim in Styriam
irrepentem tueretur : de republica Catholica præcla-
rè meritus. BENEDICTUS à Perfall, qui Styriâ totâ
ab hæreticis perpurgatâ veterem templo dignitatem,

ac splendorem restituit. DANIEL Gundau cùm
 multis rebüs illustris, tum ea præcipiè felix, quod
 dum clavum teneret ipse, aliud in Styria Collegium
 geminos sibi è Voravieusium coetu Casparum Kolb,
 & Prancratium Perghoffer Præsules acceperit. MAT-
 HIAS Singer politiorum juxta, ac severiorum disci-
 plinarum studiis egregiè eruditus, qui & eâ, qua
 omnium flectebat animos, facundiâ, & suorum operâ
 ut quàm sæpiissime divina mysteria obiret plebs ru-
 stica, effecit. Viri in superos religionem tacentibus
 annalibus Ecclesia è fundamentis educta loquitur.
 MICHAEL Toll, SS. Theol. Baccal. non magis pre-
 candi assiduitate, corporis inediâ, vigiliisque edo-
 mandi studio, quàm incredibili acutissimos inter do-
 lores patientia clarus. GEORGIIIS Christophorus
 Pratsch, SS. Theol. Baccal. in quo cæteras inter vir-
 tutes, quarum nullam in se passus est desiderari, elu-
 xit maximè animi in adversis casibus fortitudo,
 voluntásque ad divinam penitus accomodata. Frid-
 bergensem cùm sacer curio administraret Ecclesiam
 concioni, ad quam tum verba faciebat, eo ipso die,
 quo Vienna ingenti illo gaudio perfusa, natum Au-
 gustissimo Imperatori Leopoldo fuisse hæredem in-
 dicavit. Quòd ea verba Virgo filii cruciatus, ac
 mortem lugens, qualis ibidem colitur, vati sugges-
 sisce credebatur, Augustissima Eleonora rei hujus per-
 latâ ad se famâ similem illi effingi imaginem, atque
 ad se Viennam deferri voluit suo in cubili quotidiano
 cultu prosecutura. Postremis duobus Præsulibus
 JOANNI Philippo, & FRANCISCO Sebastiano è
 Comitibus de Webersperg Collegium se multis no-
 minibus obstrictum profitetur. Nam præterquam,
 quod pulcherrima virtutum omnium uterque poste-
 ris reliquerit exempla, ille in exornanda æde sacra
 elaboravit totus: hic ampla, magnificaque Biblio-
 theca, habitatione item pro loci Præside, & adven-
 nis

nis erecta non mediocrem Collegio attulit splendorem. Sebastiano è vivis sublatò quatur abhinc annis subrogatus

**REVERENDISSIMUS, PERIL-
LUSTRIS, AC AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS**

LAURENTIUS JOSEPHUS,

Collegiatæ Eccl. Vorav. Can. Reg. Ord.
S. Augustini ad D. Thomam Præpositus, &
Abbas Lateranensis, Parthenonis Kirchbergensis ejus-
dem Ordinis Visitator, Sac. Cæf. Regiæque Cath.
Majestatis Confiliarius, &c. &c.





NOMINA OFFERENTIUM

ORDINE ALPHABETICO.

A Dolphus S.R.I. Comes à Wagensperg.
A Franc. Dismas S.R.I. Comes ab Inzaghi.
Christophorus L.B. à Sauer.
Ignatius L.B. ab Adelstein, è Cæs. Ferd.

PERILLUSTRES.

Antonius Josephus de Janneschitsch, S.R.I.E.
ex Archi-Duc. S.J. Conv. Collegio.
Cajetanus de Leütner, S.R.I. Eques.
Carolus ab Eder.
Ignatius Carolus de Vogtberg.
Josephus Maria à Beucig.

PRÆNOBILES, & NOBILES.


Andreas Heckel.
Antonius Perko.


Anto-

Antonius Piechl de Ehrenlieb.
Carolus de Monsperg.
Carolus de Schragl.
Carolus Stoymar.
Gabriel Maria de Erco, ex Archi-Ducali S. J.
Conv. Collegio.
Georgius Herzog, ex Archi-Ducali S. J. Conv.
Collegio.
Ignatius Widman.
Jacobus Prodinger.
Ignatius Winkelperger.
Joannes Nepomucenus Fast.
Joannes Gößner.
Josephus Fast.
Josephus Keillinger.
Josephus Lackner.
Josephus Thinn, ex Archi-Ducali S. J. Conv.
Collegio.
Martinus Dillinger.
Sigismundus Widman.

O. A. M. D. G.







NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBISS B



00000320781

